B. N. C
FIRENZE
1230
14

Digitized by Google

1230. 14

Digitized by Google

A I

ORATIO
D. PETRI BUSENELLI
C. R.

JURIS CANONICI AC THEOLOGIÆ PROFESSORIS

HABITA

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

CUM PRIMUM

AD DIALECTICAM PUBLICE PROFITENDAM ACCEDERET.

Menſe Decembri die 21. *Anno* 1733.

CORAM

ILLUSTRISSIMO, & EXCELLENTISSIMO

NICOLAO VENERIO

PATRITIO VENETO,

PRÆFECTO, ET PRO-PRÆTORE,

AC

ILLUSTRISSIMO, & GENEROSISSIMO

ASSANIO LASCARI

NOBILI THESSALONICENSI

Almæ Univerſitatis D. D. Theologorum, Philoſophorum, & Medicorum

PRORECTORE, ET SYNDICO.

AMPLISSIMIS
REI LITERARIÆ TRIUMVIRIS
JO: FRANCISCO MAUROCENO
EQUITI,
ANDREÆ SUPERANTIO
D. MARCI PROCURATORI,
PETRO GRIMANO
EQUITI, AC D. MARCI PROCURATORI,
Univerſoque Ordini præclariſſimo
Gymnaſii Patavini
MODERATORUM

D. PETRUS BUSENELLUS F.

H*Æſit aliquandiu mihi deliberatio, Viri Principes, utrum Progymnaſma hoc in publicam lucem ederem, an premerem in perpetuum intra parietes privatos. At*

Digitized by Google

non hortamenta ſolum amicorum, ſed etiam eorum v[illegible]is, quorum valere apud me plurimum debet auctoritas, denique pervicerunt, ut ederem, nec audirem Cajum Lucilium virum alioquin doctum & perurbanum, monentem, non eſſe vulganda in manus hominum, quæ, cum recitarentur, uſa ſunt benigna fortuna: Sic enim moroſum oculorum judicium ac cenſoriam virgulam declinari. Itaque cenſui, aleam eſſe tentandam; Nam quantumvis carpant reprehenſores, non ego is ſum, qui mihi ſapientiam ullam arrogem; quin potius in eorum numero haberi volo, qui libenter diſcunt ab omnibus opportuna docentibus. Quare autem, MAXIMI SENATORES, MODERATORES AMPLISSIMI, Veſtrum nomen inſcripſerim, & Vobis proprie fœtum hunc deſtinarim, cauſſa in promptu eſt. Cum enim ſanciat Præceptor ſummus Stagirites, καθόλου μὲν τὸ ὀφείλημα ἀποδοτέον, ideſt, omnino quod debetur, eſſe reddendum; cumque quidquid a vobis provenit, non minus veſtri juris ac poſſeſſionis ſit, quam illud omne, quod ex agris veſtris naſcitur: reddimus debitum,

tum, dum noſtra qualiacumque quaſi ſuperum beneficentiſſimorum templo [illegible] votivum appendimus. Libeat igitur [illegible] Liberaliſſimi Sapientiæ Proceres, in tu[illegible]tam accipere opellam hanc, meque cum illa: Quod aſſecutus, putabo, præclariſſime mecum actum; ſimulque illis etiam, qui conſanguinitate[a], *vel ſacræ ſodalitatis*[b] *communione mihi conjuncti, in Patavino Gymnaſio aliis temporibus operam navaverunt, id lætiſſimum fore arbitrabor.*

(a) Priamus Buſenellus Pub. Prof. an. 1568.
Alexander Buſenellus Abbas Caſ. Prof. Pub. anno 1694.
(b) Joſeph Maria Maraviglia C. R. Prof. Pub. an. 1651.
Præp. Gener. an. 1665. Dein. Epiſ. Novarienſis.

Digitized by Google

ORATIO.

ETſi bellandi libido N. N. liberalibus diſciplinis plagam maximam intulerat, ac terrarum orbis armis Romanorum miſcebatur, tamen Romanis iiſdem adeo curæ fuit optimarum artium ſalus atque incolumitas, ut earum ſtudia non ſolum foverent omni ope inter ſuos, ſed etiam ad exteras gentes propagarent. Nimirum ſuperi, quibus tam latum largiti fuerant imperium, par quoque ingenium conceſſerunt, ut leges Sanctiſſimas ac cedro dignas pro literis proferendis conderent, quas rudibus etiam barbariſque populis quadam communione impertirent. Romanos imitata Sereniſſima Venetorum Reſpublica cum optimas quaſque leges inde ſibi ſumpſit ad felicitatem diuturnitatemque imperii ſui; tum vero adſcivit ſibi maxime opportunas atque utiles ad literas tuendas atque amplificandas, ut vel inter arma, quæ fere perpetuo induit in Chriſtiani nominis hoſtes Turcas, literarum ac literatorum omni ætate ſtudioſiſſima fuerit. Propterea providentia numquam ceſſante conſulens liberalium facultatum rationi & incremento illuc præſertim conſilia intendit, ne umquam idonei Doctores, qui vigiliis, opera, labore adſint ſcientias amantibus, deſiderentur: eoque a privatis laribus magiſtros ſubinde advocat, atque a domeſticis ſedibus ad hanc publicam docendi provinciam

Digitized by Google

jubet accedere. Inſigni quodam fortunæ munere id mihi quoque nunc contigit, quem Triumvirum ampliſſimorum voluntas, Auguſtique Senatus decretum, jamdiu procul a Patria Canonicum Jus ac Theologiam profitentem huc ad Dialecticam tradendam accivit. Memoria quidem beneficii atque honoris tanti excidet mihi animo numquam: Cæterum oneris impoſiti magnitudinem reputans non poſſum non mediocriter perturbari, tum quod ſentiam me neque ingenio, neque doctrina cum tot præſtantiſſimis profeſſoribus, quos præſentes intueor venerorque, comparandum; tum quod in locum ejus viri [a] ſuccedam, cui, ad virtutes alias multa præclara monumenta in lucem prolata laudem nominis ſempiternam jam pepererunt. Accedit inſuper cogitatio, Patavii docentem quam difficile ſit Lycei famam dignitatemque ſuſtinere. Hæret enim, hærebitque ſemper in animo vox magnifica ad me Roma huc diſcedentem Clementis XII. Pontif. Max. feliciter regnantis: Patavinum Archigymnaſium ſupra reliqua omnia honeſtarum artium domicilia longe eminere. Inde autem potiſſimum factum dixerimus, ut antiquiſſima & Clariſſima Urbs hæc, etiam quibus temporibus impiorum dogmatum venena per populos late circa ſpargebantur, puram atque intaminatam religionem cuſtodiret; ut eadem rectam Doctrinam ex Academiæ ſuæ nitidiſſimis fontibus ſemel hauſtam conſtantiſſime retineret, ut Magnus quavis ætate eſſet numerus Patavinorum, qui jure Sapientes ubique haberentur. Nec abibit a vero qui credat, juſte ac legi-

(a) Jacobus Facciolatus Prim. Dialec. Prof.

legitime in civitatem hanc quadrare, quod ſugillandi cauſſa Ariſtarchus per jocum dixerat in ſui temporis ſophiſtas [a]: olim ſapientes in Græcia vix ſeptem extitiſſe, nunc Patavii haud facile imperitos totidem poſſe inveniri. Veruntamen, quamvis tot tamque graves incidant timendi cauſſæ, eſt tamen quod habere bonum animum jubeat. Veſtra hæc ipſa ſapientia & humanitas, Viri doctiſſimi, ac celeberrimi, me magnopere recreat atque confirmat. Spem enim haud ex vano capio fore, ut, ſi minus exquiſitam in me eruditionem ac dicendi copiam, egregium certe ſtudium voluntatemque probetis. Itaque Deo duce & auſpice nulla interjecta mora ad inſtituta noſtra pergamus. Tradituri Dialecticam ſumus non ſtrigoſam illam, & latebris involutam, non nugis & cavillis contextam, non ſpinis ac tribulis obſitam, quam quidam, neſcio quo fato malo, perſequentes, in invidiam maximam adduxerunt nobiliſſimam facultatem: ſed quæ recto judicio, ſobrioque rerum delactu præformat animos; in qua omnes diſciplinæ quodammodo hoſpitantur; quamque ſcientes reddere & poſſe & velle Auguſtinus ipſe teſtatur. Atque hic ſtatim mirari ſubit, obtrectatores multos, alios arte alia graſſantes, reperiri, qui cauſſas comminiſcantur, quæ juvenum ſcientiæ cupidorum mentes ab Dialectica excolenda abſterreant. Sunt qui ſtudium ejus tanquam leve ſimul & nugatorium, ſimul ſummopere moleſtum ac laborioſum damnent; ſtudent alii cum Theodoro tueri, diſciplinam hanc omnem magno eſſe impedimento ad Sapientiam ten-

(a) Plutar. de amor. Fratr.

dentibus, ut in aſpera ac devia ferentem: denique non deſunt, qui quanvis ab omni pene doctrina imparati, loquaci tamen lingua, tanquam ex tripode pronuncient, quod audit libenter Heterodoxia, Dialecticam facultatem Reipublicæ ac Religioni valde noxiam eſſe. Quantopere hi omnes diſtent ab oſtio, ac totis ædibus errent, in hac doctiſſimorum hominum frequentia, propoſitum eſt, quantum per vires licet, demonſtrare. Cum autem videam, ab viris probatiſſimis, qui me præceſſerunt id ſuſceptum fuiſſe negotii, ut planum facerent, Dialecticam ad humaniores literas, ad medicinam, ad geometriam, aliarumque diſciplinarum orbem conducere, ut mihi certos diſputandi fines præſtituam, in eo elaborare eſt in animo, ut conſtet, Diſciplinam noſtram adeo non futilem eſſe, & ſuperſtitioſam, quod homines iſti ineptiſſimi effutiunt, ut potius vel facultatibus illis, quæ præcipuo in pretio atque honore apud omnes ſunt, utilis inprimis ſit, planeque neceſſaria. Juriſprudentiam dico ac Theologiam: quibus ſi oſtendero plurimum adjumenti advenire ex Dialectica, intelliget quilibet, ſumi a me argumentum non potuiſſe Reipublicæ utilius ac Religioni. Si enim neque Reſpublica ſine Juriſprudentia, quæ ſcientia juſti eſt ac injuſti, neque Religio ſine Theologia, qua firmi in fide Chriſti nitimur, qua revelata Myſteria produntur, poteſt ullo modo conſiſtere, profecto fatebuntur omnes, ex ipſis Dialecticæ rivis & fontibus bonum Reipublicæ & Religioni maximum promanare. Qua in re non vulgi tantum conſenſum attendendum eſſe cenſeo, ſed eorum qui

ſa-

ſapientes habentur . Jam ad Juriſcivilis ſcientiam primo addiſcendam, quam rem Sanctiſſi[m]n Vulpianus appellat, Dialecticam admodum utilem atque percommodam, fere omnes veteres Juriſconſulti, ipſiuſmet Juriſcivilis artifices ac ſacerdotes luculenter nos docent. Iſti equidem, ut veram & non fucatam (a) Philoſophiam, optimamque rerum omnium rationem aſſequerentur, Dialecticæ diſputationibus continuam operam ſollicitamque ſe ſe navaſſe, ac ex ipſius fontibus vim ac robur mutuatos eſſe teſtantur. Teſtantur locupletiſſima antiquitatis monumenta, quæ æque in Pandectis ac utroque Codice Theodoſiano ac Juſtiniano prælucent. Teſtatur Antiſtius Labeo, qui licet in aliis diſciplinis prope contriviſſet ætatem, magis tamen Dialecticæ conſentanea tum docendo, tum conſulendo (b) cum Proculianis & Pegaſianis profitebatur. Teſtatur Paulus ipſe diſertiſſimus Juriſconſultus, conterraneus veſter, florentiſſimæ Spartæ hujus præclariſſimum ſydus ac ornamentum, qui cum quæreretur, an quis jure eſſet exhæredatus, reſponſum a dialecticis Scævolæ diſputationibus haurire nequaquam dubitavit (c). Teſtatur: At in immenſum traheretur Oratio, ſi omnes hujus aſſerti teſtes recenſerem. Prætereo itaque Veruleium, Modeſtinum, Claudiumque Triphonem, qui ſua opera hoc documento ſignata crediderunt poſteritati. Ad unicum modo teſtimonium, aliis innumeris ſilentio miſſis, operæ fuerit attendere, quod præ cæteris emicat. Marcum Tullium Ciceronem audiamus, qui Lo-

 gicam

(a) L. 1. de Juſt. & Jure.
(b) Aulus Gelius noc. attic. lib. 13. c. 10.
(c) Paulus in L. cum quidam 79. ff. de liberis & Poſthumis.

gicam in Jureconſultis efflagitat, meritoque eam hac deſcriptione laudat in Bruto, qua dixit, Juriſcivilis magnum uſum apud multos fuiſſe, artem in uno Ser. Sulpicio, *Quod nunquam*, inquit, *ipſe feciſſet ſolius Juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem univerſam in partes diſtribuere, latentem explicare definiendo, obſcura explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa judicarentur, & quæ quibus poſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia*. Haud propterea mirum fuerit, quod cum Jureconſulto nihil magis, quam hæc recta regula diſſerendi neceſſaria videatur, eam tum privatim, tum publice in ipſo Imperatoris Conciſtorio fuiſſe uſurpatam. Hinc evenit, quod Jureconſulti in plures hæreſes ſeu ſcholas (a) dividerentur, quod Romanum Jus Philoſophorum ſententias præcipue brevibus ac conciſis numeris concluſas ſepiſſime (b) redoleret, quod leges hac diſceptandi ratione adeo firmarentur, ut quod ab ipſis Jureconſultis hujus præſidio approbatum eſſet atque munitum, receptum Jus, receptave ſententia nuncuparetur (c). Quis ergo affirmaverit, ad Juriſprudentiam neutiquam leges conferre dialecticas, quando ex ipſis veluti ex fontibus germanis emanat, quando aliter nequeunt leges expediri, quando nec ſenſa ad ſæculi mores traduci, nec res ſingulæ moribus, quod ad boni ſpectat artem & æqui, aptari minime poſſunt? Quid, per fidem veſtram, in morum noſtrorum adjumentum Dialectica ipſa non præſtitit?

Ipſa

(a) Gravina de ortu & progreſſu Juris civilis tom. 1. n. 45.
(b) Ulpianus L. 1. ff. de Juſt. & Jur.
(c) L. 6. §. 1. ff. de acquir. dom.

Ipſa eſt, quæ omnes continet in officio, ipſa quæ ut Perſius [a] cecinit: *appoſita intortos extendit regula mores*. Quæ inhoneſta, ac a noſtris moribus aliena judicavit, a toto Latio, ab omni cælo amandavit; Promiſcuas uxores habere, prolemque incertam educare contra Meſſagetas, iniquum cenſuit; Filios ac Sorores in matrimonium ducere veluti a ratione diſſonum, Ægyptiis Perſiſque non ſivit; furta contra Cilices, otium & ignaviam contra Hybaritas viriliter non ſolum improbavit, verum etiam ſubegit, extinxit ac diſſipavit; Annon innumeros propemodum populos vivendi normam a Dialecticis recepiſſe; ac animum ad fidem rectumque ſic convertiſſe non conſtat? Conſtat profecto Pythagoram, teſte Laertio, Metapontinos hoc adjumento a luxu & libidine revocaſſe; Platonem hac arte [b] Cyrenæorum Rempublicam vitiis diutiſſime coinquinatam, ſordibuſque pollutam, feliciter purgaſſe; Eudoxum ac Ariſtotelem in Patrias civitates morum ſcientiam ex Dialecticis officinis excuſam introduxiſſe; Erichtheum denique ac Cecropem ex Ægypto adventantes iiſdemmet inſtrumentis patrios mores, quibus plura ex hæbraicis hæſerant inſtitutis, compoſuiſſe, adeo ut ipſe Cecrops propter græcos mores Ægyptiis inſitos merito διφυὴς ſit appellatus. At quid hujus rei argumenta tam alte repetimus? Ipſi ipſimet Imperatores atque Reſpublicæ, ut civitati dirigendæ conſilia pararent, ac rite res civiles adminiſtrarent, a Dialecticis Scholis petiere præſidium, ac regiminis fundamentum in perfecta ſapientia loca-

A 8 runt.

(a) Sat. 5.
(b) Aug. lib. 1. c. 5.

runt. Huc mentis aciem ipſi intendentes paſſi non ſunt, Dialecticam latius evagari, ac incertis ſedibus diſpalantem errare, ſed artis hujus cultores in tribus juris præceptis (a) vindicandis conſiſtere voluerunt. Cui ſane negotio quantum contulit Theodoſius potiſſimum Imperator, Adrianus atque Valentinianus? Hac de cauſa Publicos Dialecticæ Profeſſores fiſcalibus ſtipendiis conductos conſilio ſapientiſſimo (b) inſtituerunt, ut luce hac præeunte ad mores & jura colenda gentes perducerentur, fraudes, doli, atque perjuria exularent, fides, pax, & veritas juſtitiæ comites, ut Poetæ loquuntur, perpetuæque ſorores in locum eorum ſuccederent. Hinc Epitectus, hinc Maximus, hinc reliqui omnes, qui triſtiſſimam paſſi erant calamitatem, ad eluendas morum maculas publica auctoritate ſunt revocati, ipſiſque Antoninus Pius, Antoninus alter cognomento Philoſophus in ratiocinii diſciplinam fuere concrediti. Quid ultra pro Dialecticæ ac Juriſprudentiæ conſortio luctamur, quid ultra tendimus? Adeo ars ipſa Politica (c) quæ ex Scripturarum verbis eſt eruta, Dialecticos latices diſciplinæ civitatum ac regimini prodeſſe putavit, ut Dialectici plures fuerint conſulari dignitate inſigniti, ac Præſides deſtinati Provinciis, qui recte ratiocinandi pondere fures, veneficos, ſicarios, noxioſque alios cohiberent, non vi ac metu, quibus ſenior Dionyſius unice nitebatur, ſed juſtitia & æquitate, totum retinerent imperium, ac veluti Patriæ parentes, quo nul-
lum

(a) Juris præcepta ſunt honeſte vivere, alterum non lædere, ac jus ſuum unicuique tribuere c. cum divor. 12. q. 2.
(b) L. 3. C. Theod. de Studiis liberalibus Urbis.
(c) Boſſvetus Melden. Epiſcopus in opere poſthumo.

lum gratius potuit eſſe Auguſto Cæſari nomen, rationi conſonam, ut par erat, regnandi inſtitutionem proponerent. Non alio conſilio fuit Plutarchus Illyrici populis ab Trajano præpoſitus, Phavorinus ad Reipublicæ clavum ſedere juſſus, ac, ut cæteros ſileam, quos numiſmata produnt, fuit Heliodorus ad Ægypti Præfecturam evectus. Nec ſuſpicemur, minus ſapienter civitatum felicitati ab Imperatoribus fuiſſe conſultum, cum Dialecticos tantis honoribus extulerunt, ac cumularunt. Erectas aures, Præclariſſimi Auditores, florentiſſimi Juvenes, divino Platoni, quæſo, præbete, cujus omnia ſunt egregie dicta ac cogitata, cui nihil difforme eſt celebre Stilponis oraculum: *Tunc beatas*, ajebat, *fore Reſpublicas, ubi aut Philoſophi imperarent, aut Imperatores Philoſopharentur*. Quid igitur moleſti ultra ſunt homines maleferiati? Ne audeant hac tempeſtate amplius Dialecticam ad contemptum & quiſquilias uſque traducere, ne audeant Cæſarum prope divinum conſilium, qui poſtliminio has literas revocarunt, quaſi dictatoria auctoritate projicere, ne audeant denique Veneti Senatus Sapientiſſimi Voluntati, atque huic elegantiſſimo Muſarum templo, in quo magno in pretio fuit ſemper, floruitque Logica Scientia, adeo impudenter detrahere. Pudeat maledicendo lavaſſe hactenus lapidem, ac ignoraſſe, ex ejus uſu fructus cognitionis uberrimos provenire. Hæc enim ad roborandas leges, ad mores componendos, ad temperandam Rempublicam argumenta ſuppeditat; Hæc nobis Juriſprudentiam, quæ, teſte Auguſtino, ſpecies eſt Religionis, apertiſſime comparat; Hæc ad Theologiam,

quæ,

quæ, eodem probante, ipſa Religio eſt, quammaxime confert.

Theologia, quæ cognitio Dei eſt, rerumque divinarum per Fidei lumen accepta, eſt ſuprema facultas, quæ ex ipſo etiam fine, ad quem contendimus omnes, præſtantiſſima judicatur. Hæc, ut ſuæ dignitati reſpondeat, a fide ac revelatis deſcendat oportet, a ſacris literis robur capiat, ab Apoſtolicis traditionibus, Conciliis, juris Pontificii Decretis, veterumque Patrum Doctrinis ſuam firmitatem accipiat. Quæ tamen divina ſunt, non ſemper ſunt tractanda divinis, neque proinde argumenta ex natura capta tanquam Theologiæ adverſa ſunt repudianda. Heterodoxorum hic canon eſt, jam dudum Vaticani oraculo veluti fulmine attritus: Hi ſiquidem cum ratiocinationis nervos metuerent, diffiderentque iis ſe poſſe reſiſtere, ad impietatem ſuam obtegendam ſic ſtatuebant, non decere Chriſtianam ſimplicitatem uti ſubſidiis humanis ad illa, quæ divina prorſus ſunt, ſtabilienda aut explicanda. Itaque in eos, qui uterentur, Apoſtata Julianus Auguſtus infremuit, Epicurus ac Zetus ille Pacuvianus invectus eſt, probris ac maledictis Agrippa Cornelius irrupit [a]. Sed his Proh dolor! bellum acerbius Lutherani hac tempeſtate indixerunt, qui velut Philiſtæi [b] adverſus Iſraelitas, ne poſſint ab eorum tyrannide ſe defendere, fabrilem hanc artem tollere prorſus contendunt, Dialecticam noſtram, ut Theologo repugnantem, arguunt, criminantur & damnant. At ne-

(a) Auguſ. lib. 18. de Civit. Dei.
(b) 1. Regum 13.

nequcunt nefario voto potiri, nequeunt temerario auſu gloriari. Novimus perfidum hominum genus, novimus peſtiferos ganeones, non ferulam baculumque geſtantes, ac eadem tela in ipſos aptiſſime retorquentes, non ſolum Dialecticum munimen Theologis haud obeſſe; verum etiam quammaxime convenire apertiſſime demonſtrabimus. Quod ſane conſilium, quod ipſius Theologiæ comprobat etymon, non ex Ethnicorum ſententiis, qui noſtræ cauſæ facem aliquam prætulerunt, perficiendum eſſe arbitror. Non inde referam Periclis dicta, non momenta Anaxagoræ, non ſapientiſſimi proloquia Platonis, qui ſubtilitati Socraticæ rerum divinarum peritiam adjiciens, illarum judicem Dialecticam cenſuit, ac formatricem [a], quæ aut ipſa eſſet, aut ſine qua ſapientia omnino eſſe non poſſet. Operam noſtram ne profana morentur. Verecundiæ fuerit pro Fidei negotio ex immundis lacunis expiſcari ſuppetias, ac obſcura promptuaria cæno multiplici obruta pro ipſa luce appellare. Vos vos Eccleſiæ Proceres ad hoc veritatis Tribunal appello, ut in meridie innoteſcat, quantus ſemper fuerit in ſcholis Eccleſiaſticis Dialecticæ uſus, quantum Theologiæ ipſa auxilietur. Adſint itaque Apoſtoli. Hi non ſolum verbo, ſed etiam opere ipſo, ac ratiocinii viribus ſe de Chriſtianæ fidei veritate populis perſuaſiſſe diſertiſſime profitentur. Adſint Hieronymus, Cirillus, Auguſtinus, cæterique ſuppares tum latinæ tum græcæ Eccleſiæ Patres. Hi ad ſcripturas rectius intelligendas, ad omnia quæſtionum genera, quæ a divina facultate eliciuntur, expe-

(a) Aug. lib. 3. contra Acad. c. 17.

expedienda, Dialecticam valere lato calamo diſſeruunt. Adſint tandem divini Antiſtites, adſint Scholarum Principes, adſint; At ego hic pedem figere cogor, quo mea contentius procedat Oratio. Mihi dies ſane deficeret, ſi in propoſiti præſidium ſacra omnia monumenta advocarem, quæ una conſentiunt, Theologiam, veluti noctuam, ſine Dialectica ablata luce ingemiſcere, ac idcirco Diſputationis hanc diſciplinam Theologicis certaminibus convenire. Unum tamen non poſſum ſilentio premere, illud doctrinæ miraculum, quod hac ætate non ſolum Theologiam illuſtravit, ſed etiam ut quidam Theologiæ choragus proponitur [a], quod non ſolum ab Eccleſia, ſed etiam ab ipſo Eccleſiæ hoſte [b] laudatur, quod utinam poſſem pro Inſtituti communione ſequi. De noſtro Venerabili Joſepho Maria Thomaſio loquor, qui origine inſignis, præclarus ingenio, eloquio diſertus, linguarum græcæ ac hebraicæ callentiſſimus, vita integerrimus, ea, qua ad Eccleſiæ Principem ſpectat, virtute ſuffultus, a Clemente XI. Summo æternæ gloriæ Pontifice in Sacrum Apoſtolicum Senatum fuit præceptivo Jure cooptatus. Hic ad cauſæ noſtræ defenſionem meſſem collegit uberrimam, hic luculenter edocuit ad Dialecticæ limam eſſe diſceptationes Theologicas revocandas, non quod a Dialectica ope noſtra pendeat Religio, ſed ut Theo-

logia

(a) In Synopſi Theologiæ Vet. Patrum, quam ad mentem Cardinalis Thomaſii Jacobus M. Gravina C.R. publici Juris nuperrime fecit.

(b) Non ſolum ſacræ Congregationes, ſed etiam acta Lypſiæ, Baſnagius, Pfaffius, & Grudmannus hæretici laudant Card. Thomaſium, vocantque ſapientiſſimum atque doctiſſimum, ut inter cæteros refert D. Joſeph M. del Pezzo ex Noſtratibus in libro de Vindiciis pro Card. Thomaſio mira eruditione conſcripto.

logia hoc nixa fulcro poſſit humanum ingenium lucrifacere, ſophiſtarum verſutias detegere, fidem dimiſſam atque jactatam fluctibus hæreticorum eripere. An ad hæc ſingula præſtanda permagnum noſtra ſcientia momentum non affert? Si enim propria ac familiaria inſtrumenta rebus ſingulis ſunt aptanda, quid ad cogendos animos, ad revinciendam mentem convenientius poterit excogitari? Duæ ſiquidem in iis, qui de rebus divinis diſceptant, videntur eſſe perſonæ. Una omnibus communis: cum omnibus ſit indita ratio, quæ cujuſcumque diſceptationis origo eſt [a]. Altera Theologorum munus ſingulare gerit, quæ argumenta diſciplinæ Theologicæ magis conſentanea depromit. Cum autem inter hæc duo apud Theologos commercium mutuum ac indiſſolubile intercedat, nec unus rerum ordo poſſit eſſe alteri impedimento, quinimo ſic divina aptius copulentur humanis, profecto intelligi vix aut ne vix quidem poteſt, quomodo rationalis Philoſophiæ argumentationes a Theologicis Diatribis velint adverſarii eſſe ſejunctas, niſi hi forte arbitrentur, Theologos & jus abdicaſſe diſputandi, quod negat communis Doctorum ſententia; & debiti oblitos eſſe, inſtruendæ rationis, quod Libris ſacris repugnat, & ipſam humanitatem contra inditum naturæ dictamen exuiſſe. At hoc crediderit a ratione ſemotus, crediderit Judæus Apella, non ego. Ego enim nihil dimotus a propoſito id temere venditantibus obſiſtam, quando hac via natura perficitur & gratia; quæ divina ſunt, intenſius excoluntur, ſophiſtarum argu-

(a) Clem. Alex. lib. 1. ſtrom.

gutiæ technæque reteguntur. Ex his cænoſis plures de hæreticorum grege proſiliunt, ipſa fidei fundamenta convellunt, veſano impetu ſæviunt in Religionem. Protagoram imitati, verborum lenocinio ac calamiſtris in eo toti ſunt, ut infirmæ cauſæ vires addant, & cauſam reipſa inferiorem verbis ſuperiorem efficiant. Piget hæc fuſius commemorare. Univerſam rerum cognitionem (a) turbantes, vero falſitatis fucum alliniunt, falſum veritatis ſpecie conciliant, in paralogiſmis ludunt, & veluti glaucoma quoddam objiciunt, ne intellectus verum à falſo, ab iniquo rectum diſcernat, aucupiis hiſce irretitus. In quo, niſi cautio magna adhibeatur, periculum ſane eſt, ne verſuti homines ac verſipelles, ſi non eruditis ac veritatem ûnam amantibus, ſaltem aurito gregi ac ſervo pecori imponant, ſibique audeant ad ravim uſque tibiis inflatis concinere. Hos enim edacibus catulis comparo, quos vellera lambere, domique tergora mordere videmus; qui ſi tenelli non reprimantur, veluti indomitæ feræ palam quidquid inciderit, aggrediuntur, dilaniant atque diſcerpunt. Veruntamen nequicquam irrequieti, turbidique animi in Dialecticæ conflictu his machinis utuntur, cum ad ejus conſpectum, veluti muri Jeruchuntini quatiantur. Hæc, Ambroſii ſententia, oppugnatores ad palæſtram advocat, undique divexat atque circumvenit, atque ut vim remittat, ipſos exorare compellit. Hæc itidem eſt, ut Paulinus ait, *quæ catholicis urbibus lumen effundit, quæ denſas ſophiſtarum caligines diſcutit, quæ lucem veritatis à confuſione tenebra-*

(a) Loch. liure quatrieme chap.

nebrarum ſplendore ſermonis enubilat. Non aliis telis ſed hiſce unice ab ratione ipſa refellendi petitis cavillorum præſtigia diſrumpit, latrantes argutationes exſufflat, ſophiſtarum denique omnium, qui hac arte abutuntur, quod hominibus non arti eſt vitio vertendum, conſilium omnemque operam disjicit. Et vere quot fluctus hæc non cohibuit, quot palmas hæc ipſa non retulit? Tertullianus copiis hiſce auxiliaribus Marcionem confecit, Origenes Celſum fudit atque proſtravit, Juſtinus Philoſophum Valentinum oppugnavit, impetumque obtorti ingenii perfregit; Libanium tandem & Symachum, ne ſingulos nomine appellem, qui calamum tinctum felle acuentes, ac ſophiſmate elaborato ſuperbientes, eamdem paſſi ſunt obſidionem, Prudentius hoc telo confodit, ac veluti levato velo tortuoſas ac iniquas artes oſtendit. Verbo dicam hæc recta regula, qua ſyrtes ac ſirenii ſcopuli deteguntur, hæc Lydius lapis, quo ad examen revocata probantur, hæc veritatis vindex, quæ nebulones ac nebulas aperto marte laceſſit, fugat, & conficit. Quid multa? Hæc Theologiæ conjuncta non flexuoſas tantum ambages phaleris etiam ornatas patefacit, verum etiam hæreſes pæne omnes tenebris natalibus prædamnatas, quæque dein ab orco ſunt revocatæ, diruit atque proſternit. *Quidquid enim*, ut inquit egregie Hieronymus (a). *quidquid in hoc ſæculo perverſorum dogmatum eſt, quidquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc dialectica arte ſubvertitur, & inſtar incendii in cineres favillaſque diſſolvitur*.

(a) In com. ſuper Ezech. c. 13.

vitur. Diſſolvitur equidem moles univerſa Menandri, Cerinthi, & quidquid ex Chiliaſtarum, qui ex voce græca χιλίας nuncupantur, ſomniante ſtirpe defluxit. Diſſolvitur ipſe Deorum Architectus, Homerus, & quidquid ad hortos pertinet Epicuri. Diſſolvitur Eutychiana labes, ac Neſtoriana, Apollinaris ac Gnoſticorum putidum ineptumque commentum, cunctæque illæ progenies, quæ ex iiſdem ſurculis, ac virulentiſſimis radicibus emanantes, ad impietatis regnum augendum ſuperos moverunt & Acheronta. Utinam temporis anguſtiæ non prohiberent, quominus præcipua ſaltem hiſtoriæ ſacræ monumenta recenſerem, ac curſim ſaltem luſtrarem, ut compertiſſimum fieret, quam apte Dialectica ſociata ſit Theologiæ, quantum ſemper & ubique Religioni jactatæ ac prope convulſæ præſidium attulerit. Siccine, interrogabunt, in Theologiæ contubernio Catholicam fidem periclitantem ipſa fovit atque reſtituit? Ipſa profecto Agnoitas Alexandria fugavit, Donatiſtas in Africa fregit, Arrianos in Hiſpania repreſſit, Gothos eamdem crambem recoquentes eliſit, Gentes denique, ut vela contraham, portumque tandem aliquando reſpiciam, parum belluarum diſſimiles, idola barbara abjicere, pravis ſe abdicare inſtitutis, ac veræ Religioni ſe addicere eadem ipſa coegit. Qua ergo fronte recentiores ſcituli, ac veritatis oſores tam acriter in noſtram Dialecticam ut perfunctoriam, inutilemque prorſus debaccantur? Quam inſcite, quamque imprudenter, novi furfuris ſatores rectam diſſerendi rationem dicteriis atque ſarcaſmis exſibilant? Oh habetes ac ſtupidos, imo ve-

verius dicam deperditos, qui ſtudium hujuſcemodi odio vatiniano faſtidiunt, veluti noxium ac futile amandant, nec rei utilitatem, ne cogitatione quidem ipſi aſſequuntur. Non vident ad legem, forumque firmandum, ad mores componendos, ad regimina rite adminiſtranda conducere. Ignorant, aut fortaſſe ſimulant ſe ignorare, hanc ipſam animos lucrifacere, ſophiſtarum dumeta detegere, hæreticorum omnium, quibus Eccleſia nigrum jam tetha præfixit, audaciam magis comprimere. Non intelligunt denique, Dialecticam noſtram jura correpta reſtituentem, contemptum deum vindicantem, Juriſprudentiæ ac Theologiæ eſſe quammaxime neceſſariam. At in ſuis tenebris Ardeliones hi deliteſcant, ſi adhuc Dialecticam Plautino ſale defricare per ſummam impudentiam non vereantur, ſi renuant præpoſteram opinionem ejurare, ac minime videant, humani (a) ingenii nefas eſſe execrabile de diſciplinis aliter ſentire, quam ratio & veritatis oracula clamant. Lætor interim, Præſtantiſſimi Profeſſores, qui ad me audiendum tam humaniter conveniſtis, noſtrum vobis probari conſilium. Ipſi enim vos hujus diſciplinæ verticem attigiſtis, iidemque hujus ſcientiarum domicilii non modo decus ſervaſtis, verum etiam ſuper antiquum longe evexiſtis. Vos autem, florentiſſimi Juvenes, virorum tot, atque tantorum conſenſionem, atque veſtigia impreſſa ſequentes, preſſis artubus, ſolidiſque conſiſtite, ad Dialecticæ limen ac penetralia remis, ut dicitur, veliſque contendite. In capeſſendis hujus artis ſtudiis, quibus

(a) Ludovicus Muratorius de ingenio. moder. c. 2.

bus nihil poteſt utilius, aptiuſque proponi, id vobis exhibeo, quod Lycon a Troade oriundus juvenibus tradidit.[a] dum primum in Peripato ſapientiſſimo Straboni ſucceſſit: *Quod audiſtis, implete*. Cumque addidiſſet pudorem adjungi oportere, ac laudis ſtudium, veluti frænum ac calcar equo, illud ſolummodo Homericum, quod jam pridem Poſſidonius, adjiciam: *Rem gere præclare, ac aliis præſtare memento*. Memento, Dialecticæ ſacris initiandum ad labores ſuſcipiendos nequaquam claudum eſſe debere, quod ait Socrates ad Platonem; adeo ut partim adeat, partimque recuſet, ſed æque ſemper infaticabilem eſſe ſemperque paratum. Memento Cleanthis conſilii [b] qui dies noctesque ducebat inſomnes, ut liber ac aſſiduus commearet ad ſtoam, ac inde proverbium ceſſit, *ad Cleanthis lucernam elucubrare*. Memento tandem primum Zenonis auditorem æmulari Criſippum, qui adeo in dialecticis traditur profeciſſe; ut illud vulgare dictum fieret: *Hic ſolus ſapit, aſt alii velut umbra feruntur*. Tibi vero Prorector, ac Syndice Illuſtriſſime ac Generoſiſſime, cum præſtes cæteris dignitate, decorum valde eſt, quoque omnibus præſtare virtute, ut in quo certatim de palma videntur contendere inſignis pietas, ingenii maturitas, ac ſumma diligentia in ſtudiis fovendis ac frequentandis. Jam animum mihi, officiumque ſpondenti ſpes non vana eſt fore, ut proſpere res eveniat. Obtigit enim, quod videbatur votis omnibus exoptandum, ut auſpicio tuo, Senator Ampliſſime, ar-

(a) Strabo Ser. 33.
(b) Athenæus Diſphoſoph. lib. 12.

arduam hanc Provinciam ſuſciperem. Te enim Gens excelſa ac inclyta prodidit, nullis umquam caſibus interciſa, nullis iniquæ ſortis eventibus interrupta, Sacerdotii ac Imperii inſignibus ſemper illuſtris. Quanta in hac fuerit bellicæ artis gloria, quantus literarum cenſus, quanta denique omnium virtutum ſeges, paſſim marmora, ac hiſtoriarum monumenta loquuntur. Vetera mitto: Viget Patruus Sebaſtianus Epiſcopus Vicentinorum vigilantiſſimus, præclarum pietatis ac promovendæ Religionis exemplar. Viget Patruus alter Senator Joannes Baptiſta, qui Brixiæ perſancte Prætoris munus obivit. Viget Leonardus Pater, jam dudum itidem Senator, qui in filio ſuæ virtutis inſculpſit imaginem. Viget tandem (ut Petrum prætercam magno civitatis damno ac dolore nuper e vivis ereptum) viget Hieronymus Eques ac Ædis Marciæ Procurator, qui in Legationibus ad Leopoldum Cæſarem, ad Ludovicum XIV. Galliarum, ad Gulielmum Auriacum Britanniæ Reges, omnes in ſui admirationem, cultumque perduxit, cui Moderatori quantum debeat Archilyceum noſtrum, verbis ſatis exponere haudquaquam facile eſt. Tuorum virtute clarus ac tua non impar in Senatorium ordinem cooptatus laudem maximam, maximeque memorabilem es ubique promeritus. Primum Veronæ Prætor, deinde Patavii Præfectus uno populorum conſenſu celebraris, juſti ac recti diligentiſſimus, pauperum Parens amantiſſimus, pupillorum Patronus Munificentiſſimus, omnibuſque numeris ita abſolutus, ut ad munus Rectoris ſapientiſſimi nihil poſſit accedere. Gratulor itaque,

gra-

gratulor, me nactum eſſe tantum in tanto diſcrimine Auſpicem, qui ſicuti Venerii alii hanc Muſarum molem immortali magnificentia extruxerunt (a) atque exornarunt (b), ita in noſtris literis alendis, conſervandis, augendis ardentius inflammaberis. Faxint interim propitii ſuperi, ut annos vivas Neſtoreos ad Auguſtiſſimæ Reipublicæ præſidium, & felicitatem, ad hujus celeberrimi Gymnaſii utilitatem & incrementum.

(a) Marinus Venerius Scholas extruxit an. 1493.
(b) Marcus Antonius Venerius anteriorem partem Scholarum exornavit an. 1550.

P A T A V I I,

Typis Joannis Baptiſtæ Conzatti.

Superiorum Permiſſu.

9463672

Digitized by Google

Digitized by Google

Mc

Digitized by Google